

**CONSELLO DA CULTURA GALEGA  
GALLAECIAE MONUMENTA HISTORICA**

**301**

**1175/10/22.**

*Pedro Ordóñez, a súa nai, Mariña Páez “Coronela”, e Martiño Pérez, por el e os seus irmáns, véndenlle ó mosteiro de Toxos Outos a súa herdade na vila de Babenzó por tres marcas de prata e un marabedí.*

B.- Tombo, f. 96rv.

**Carta de Bauzenzo in Bastauales.**

In nomine Domini nostri, et cetera. Ea propter ego Petrus Ordoniz una cum genitrice mea Marina Pelaiz dicta Coronela et Martinus Petri, consanguineus meus, pro se et pro fratribus uel sorore sua, vobis abbatii Petro de Sancto Iusto de Togis Altis et omnibus monachis eiusdem monasterii gratuito animo et spontanea uoluntate facimus textum scripture firmitatis et kartulam uendicionis de tota nostra hereditate quam habemus in uilla uocitata Bauzenzo quanta ibi habemus de auolencia et de ganancia sicuti eam obtinuerunt parentes nostri et nos modo tenemus, et cetera. Que hereditas habet iacencia territorio Amaia iuxta riuulo Saris concurrente Sancto Juliano de Bastauales in loco iamdicto uidelicet Bauzenzo per suis terminis, locis antiquis et cum omnibus suis directuris uel adiunctionibus ab integro libere ac firmiter uobis uendimus pro precio et robore quod nobis et uobis bene complacuit, id est marchas III puri argenti et morabetinum I bonum, et de precio nec robore nichil apud uos remansit indebito ad soluendum. Ab hinc et deinceps uendatis, donetis, mu- // -tetis et totam uestram uoluntatem per secula cuncta faciatis iure hereditario. Quod si aliquis homo tam de nostra parte quam de extranea qui contra hoc nostrum spontaneum factum uenerit uel uenerimus quisquis fuerit quantum in calumpnia miserit in duplo uel triplo componat et parti uestre marchas VI puri argenti et morabitinos II bonos persoluat; et hoc nostrum spontaneum factum semper robur obtineat.

Facta kartula uendicionis die XI kalendas nouembris, era M<sup>a</sup> CC<sup>a</sup> XIII<sup>a</sup>.

Nos iamdicti in hac kartula manus nostras.

Q. p. f.: Petrus, ts. Pelagius, ts. Didacus, ts. Petrus de Auctario, conf. Petrus Froylaz, conf. Froila Petriz, conf.